

Quoniam autem commodum accidit, ut haec scriptio in id tempus incideret, quo publicum scriptum academiae de hac re editum est, huic responsioni nostrae adiungi curauimus, quae die pentecostes christianae rector scholae nostrae proposuit, quod vt de re etiam aliquid breuiter et non de verbis solis  
 5 ad te scribatur legere te cupimus, ut iudices, an analogiae fidei et formulis ijs, quibus ecclesia Christi ab initio, id est, iam inde ab eo tempore, quo Christus in coelum sublatus est – his igitur, an nostra doctrina aut vestra sit consentanea.

[C 2v:] Rector academiae VVitebergensis<sup>49</sup>

10 Anni sunt 3079 a prima veteris testamenti Pentecoste, quando in monte Sinai lex promulgata est ὑπὸ λόγου διὰ Μώσεως,<sup>50</sup> a prima vero nouis testamenti pentecoste 1537, quando Christus post ascensionem occupato in coelis regno et sacerdotio Spiritum sanctum visibile specie effudit in apostolos.<sup>51</sup> Has quasi primitias visibiles regni et sacerdotij Christi, de quibus ipse testatus  
 15 erat: „Nisi inero ad Patrem, Spiritus paracletus non veniet ad vos“,<sup>52</sup> grata memoria laeti celebrantes, gratias agamus summo pontifici et mediatori nostro, quod voce et ministerio euangelij colligit sibi aeternam haereditatem in genere humano et sanctificat eam Spiritu sancto, tandem resuscitatam a mortuis donaturus vita, luce, iusticia et laetitia aeterna. Complectamur autem  
 20 pia meditatione totam de ascensione Christi ad coelos de glorificatione et exaltatione humanae naturae in Christo et de regno eius spirituali doctrinam traditam ab apostolis et totius antiquitatis consensu religiosa cura et fide conseruatam:

Dominus noster Iesus Christus post dulcem quadraginta dierum consuetudinem et commonefactiones varias ac necessarias inter familiaria colloquia  
 25 cum Maria matre apostolis et vniuerso eius temporis ecclesiae coetu hac multitudine spectante, sed comitante magno agmine resuscitatorum hominum, euectus est ex hoc mundo visibili in coelum ad vitam, gloriam et regnum coeleste ac translatus est visibiliter locatione corporali in coelum, sed  
 30 ita, vt sit ad dextram Dei Patris hoc est, vt exaltatus in regno et sacerdotio teneat omnipotentem gubernationem vna cum aeterno Patre, ad quem post vniuersale iudicium adducet vniuersam ecclesiam electorum. Voluit autem petere coelum inspectantibus multis. Primum, vt his testimonijs confirmata ecclesia certo statuere posset, eum non euanuisse aut non esse amissum vt  
 35 spectrum, sed illam ipsam naturam humanam assumptam ex virgine et resuscitatam, eum euexisse in coelum ad dextram Patris, vbi ipse caput E-[C 3r:]

<sup>49</sup> Am 1. Mai 1571 hatte Caspar Cruciger d.J. das Rektorat übernommen. Vgl. Hartwig, Album academiae Witebergensis, 189.

<sup>50</sup> Vgl. Ex 19–24; Lev 23,15–21.

<sup>51</sup> Vgl. Act 2,1–13.

<sup>52</sup> Joh 16,7.